



1

Illustrissime Domine, Domine grati-
osissime.

Negotia mea, praesertim capitaneatum Taruestrn.
concernentia quantae curae Ill.mae Cels.ti V.rae
in proxime praeteritis Comitijs fuerint, pluribus
mihi Dominus Syndicus Rigen: ostendit, et idipsum
insuper ex literis Ill.mae Cels.tis V.rae perspexi.
Quo nomine singulares Ill.mae Cels.ti V.rae debeo
gratias, quas interim agam, dum referam. Quoad
cessionem Capitaneatus Taruestrn. iam differam,
donec Ill.mae Cels.tis V.rae sententiam coram
audire meamque exponere, cum tota haec res cum
Ill.ma Cels.te V.ra conferre liceat. Quod autem
Tartaricam expeditionem attinet, de ea etsi iam
ante a Regia M.te me admonitum fuisse Ill.ma
Cels.tas V.ra putat; tamen heri demum literas M.tis
Regiae sine ulla instructione et sine pecunia
accepi, quibus mandat, ut me ad expeditionem
bellicam praeparem, quae omnia rectius Ill.ma
Cels.tas V.ra ex annexis literarum copijs co-
gnoscet. Atque fit in illis ipsis mentio operae meae
militaris praestitae olim contra Tartaros nequitiae
quae inter legendum varie me afficit. Lator ta-
men, Ill.mae Cels.ti V.rae probari factum illud,
quod mihi tum castrino faciendum fuit. Est
sane ea Ill.mae Cels.tis V.rae persuasio et volun-
tas erga me tam prolixae gratiae, qua me sibi co-
mitem belli esse optat, non potest non esse mihi hono-
rifica et debita consideratione jucundissima, opta-
remque ego iucidissime, ut quae mea erga Ill.mam V.ram
Celsitudinem voluntas, re ipsa militari quamprimum
declarare liceret, sic neque corporis neque vitae pe-
riculis parcerem, quia ea omnia pro Ill.mae Cels.tis
V.rae salute et dignitate devoverem. Atque ideo
maximo dolore afficior intimisque quasi sensibus an-
gor, non concedere mihi temporis angustiam prom-
ptum ita, ut vellem, obsequium. Exeunte enim
Majo primum accepi literas Ill.mae V.rae, et nunc de-

mum Regias generales quasi & incertas. Iam
Illma Cels:tas Vra ipsamet aestimet, an ulla
ratione id fieri possit, ut cum milite nondum
collecto iter tam longum & festinatum suscipere
& vel ad finem Augusti vel initium Septemb: in
finibus Tartariae me sistere possim. De ea re
dederam Dno Syndico ad Comitia profecturo in
mandatis, si intellexeret, operam meam milita-
rem requisitum iri, ut id quam citissime mihi
significandum esse Illmae Celsni Vrae ostenderet
& sit commodius me ad omnia praeparare, &
ad praefinitum Augusti diem Illmae Cels:ti Vrae
adesse potuissem. Et is quidem cum Dno Reinhol-
do Heidenstein materiae diligenterque egisset, sed
non prius, quam cum Illma Cels:tas Vra Craco-
via discederet, responsum accepisse testatus est,
quod & ipsum fuit incertum. Etsi itaque mihi sum-
me properanti vix possibile sit, ut ante Octobrem
me sistam; faciam tamen, ut ad ultimum Octo-
bris diem adsim, si ita Illma Cels:tas Vra iusse-
rit, et ea, quae ad hanc rem necessaria esse, uno
quasi intuitu ostendam, ad initium Julij curaverit,
quemadmodum spero, interea a Sac. Reg: Mte,
nec non Illma Cels:te Vra omnia iampridem
ita esse curata, ut antequam Illma Cels:tas Vra
hasce accipiat literas, ea, quae desidero, sic in
promptu sint futura. Hic primum difficultas rei
nummariae mihi occurrit, quae cogendi militis faculta-
tem excludit plane omnem. Mihi tot profectio-
nibus & expeditionibus exhausto cum praeter ne-
cessaria suppetat nihil, nihil etiam elargiri potero.
Deinde vix fiet, ut tam vili atque exiguo stipendio
mereant, cum nullus ex equitibus cataphractis
minore undecim florenorum menstruorum
stipendio militet, neque ultra sexcentos equites
hic in provincia cogi poterunt; reliqui durenti
alibi quaerendi sunt, quod citra praesentem pecuni-
am fieri plane nequit. Scit Illma Cels:tas
Vra aliam esse Germanorum militum quam
aliarum nationum conditionem, neque eos tam
parvis sumptibus instrui posse, ut qui minio rebus

fere omnibus destituantur, nihilq in promptu habe-
ant, sed initio expeditionis cogantur pixides,
sclopeta caeteraq arma ex dissitis Germaniae
locis comparare. Nisi itaq duorum mensium
stipendium ipsis ante expeditionem numeretur, vix
cogi poterunt. Proximum igitur id erit, ut si Ill.ma
Cels.tas V.ra aliquid hac in parte à me recte praesta-
ri velit, iusta aliqua pecuniae summa circa initi-
um Julij hic ad manus sit. Cumq egomet ipse sin-
gulariter constituerim, quinquaginta equites ca-
taphractos selectissimos conscribere, qui expensas
requirunt non exiguas, quas exhausto iam mihi
proprijs sumptibus facere impossibile est, Ideo rogo
ut Ill.ma Cels.tas V.ra S. R. Regiam M.tem per-
moveat, quo Senatui Rigen. demandetur, ut mi-
hi trium annorum subsequen pensionem persolvant, soluti-
onemq rursus ex portorio Rigen. expectent. Ac
cum expeditio non alio modo, quam apud Ger-
manos usitatum est, fieri possit, ac ob id neces-
sarium esset, ut more Germanico stipendia pro arrha
et diario vulgo ~~Anritt und nachgelt~~ dicta persolverentur,
verum cum eam consuetudinem Reg: M.tas sequi nolit,
alia plane ineunda ratio est, ut videlicet duorum ad
minimum mensium stipendium militibus ante su-
sceptam expeditionem numeretur, cum alias instructi
esse nequeant, stipendijq movendi initium, quemad-
modum antea factum, simul ac Lithuanicos fines
attigerint milites faciendum esset. Providendum quoq
ut stipendia in semestre usq statum durent, utq
mihi instructio ~~instrumentum~~ mittatur Reg: M.tis subscriptio-
ne et utroq sigillo munita, cuius vigore undenos
florenos menstruos singulis quibusq militibus cata-
phractis promittere, ac praefectos et alia quaecunq
ad expeditionem more Germanorum necessaria
conscribere ac curare queam, cum annexa cautione
ratihabitionis, quod, quaecunq à me constituta fue-
rint, Reg: M.ti rata et grata esse debeant. Sollicitandus
quoq [illegible] esset Legatus Regius, qui authoritate Reg.
M.tis provinciales ad lustrationem faciendam
invitaret. Moneret eos periculosa et funesta illa
bella, quae cervicibus universae Reip: Christianae
impendent, quin etiam antiqua huius provinciae
consuetudo ad lustrationem promovendam studij

mum faceret. Superiores enim huius prouinciae magistratus ipso etiam pacis tempore soliti sunt lustrationem instituere. Regio itaque mandato instructus nil omnino praetermiserim, quae in lustrandis & cohortandis prouincialibus consuendisque iis, quae essent ex usu Reip. Et eo hac uia expeditius celeriusque successerit, quam si conuentus indiceretur quem plerimi subterfugere possent. Et ubi lustratio institueretur, omnes adesse tenerentur & sic delectus in tanta equitum dissimilitudine haberi posset. Si itaque ad initium Julij celebratur, ut pecunia praesens sit & instructio, omnino sulcam, ut Illma Cels. Vra mecum sistam. Requirendus etiam meo judicio esset Illustrissimus Dux Curlandiae Dux, ut cogenti mihi militem in sua ditione non deesset, quin potius in ea re suam operam & studium, ut antehac factum, nauaret, qua re adiutus facile plures cogere possem. Sed haec omnino acriori Illmae Cels. tis Vrae judicio committo, quam etiam oro, ut consideratis iis, quae commemoraui, ipsamet pro sua eximia prudentia et experientia decernere uelit, quid ex usu Reip. sine meo, & eorum, qui mecum proficiscentur, incommodo esse judicet. Ego quidem caueho, ne Illmae Cels. tis Vrae officij mei custos deterior inueniar, quam me hactenus uniuersa Respubl. (ut teste Illma Cels. tis Vra) experta est, sed illud Illma Cels. tas Vra uicissim mihi roganda est, ut caueat, ne officium meum mihi amplius sit damnosum. Vnum admonenda adhuc illud mihi Illma Cels. tas Vra est, quod etsi omnes causae Liuoniae usque ad S. Michaelis festum limitatae sint, ea tamen sola, quae mihi cum Alexandri Kauschij haeredibus intercedit, quaeque comitialis est, iussu Reg. Mtis exceptam esse, quemadmodum ex annexa limitatione apparet. Quae res me ualde dubium & sollicitum tenet, ita ut quorsum haec suasoria sint, nondum plane uideam. Rogo itaque Illmam Cels. tem Vram, ut apud Reg. Mtem caueat, ne res meae detrimentum aliquod capiant. De rebus Suec.

teris illud Caesareae Matis Legatj in suo
transitu retulit mihi quod inter Sue-
ciae Regnum & Moschum pax firma
perpetuis foederibus constituta sit, supe-
rest unum tantum, qui breui etiam expe-
dietur, finium scilicet regundorum actio.
Inter alia autem cessit Moscho prouincia
Kekshølm dicta. Quod reliquum est,
Illmae Celsni Vrae me omniaque mea
offero, eidemque ac ueneranda me com-
mendo. Dat. Vandae die 21 Junij
Ao 1595.

Illmae Celsnis Vrae

paratissimus seruitor

Georgius Farensbach



Illustrimo domino domino
Joanni de Zamoslezie Reg.
Poloniæ Cancellario et exer
cituum duci summo etc. etc etc.
Domino meo gratiosissimo.

Jasnie Wielmozny a Mnie [illegible] Panie
Panie y Dobrodzieju moy Mc[illegible]

[illegible] uslug [illegible] do Mciwey Łaski [illegible] W. M. Pana
[illegible]

[illegible] bylbym [illegible] tak [illegible]
przez Pana [illegible]
tey JKMci [illegible]
[illegible]
Pana P[illegible] do JKMci [illegible]
[illegible] bylo JchM Panow [illegible] od trzech [illegible]
[illegible] y [illegible] szlachty [illegible]
[illegible] JchM [illegible]
[illegible] JchM [illegible]
[illegible]
[illegible] tak [illegible]
[illegible]
tak [illegible] bardzo [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] do [illegible] WM Pana [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Ao 16[illegible]

[illegible]

[illegible]
[illegible]
Uprzeymie [illegible] [illegible]





9

S.P.D. Oblato officio meo, et debito, et prompto, Spectatissimi Prudentissimique Domini, non est quod dubitem, teneri vos omnes animo recordari, meminisseque esse, quam ob causam, Ioannes a Lauterbach, Civis Posnaniensis, exigui hinc temporis elapso spacio, hic apparuerit, iudicioque steterit, nec non qua conditione et pacto, lis et actio illa, contra ipsum (ob debitum. 130. Ioachimicorum) mihi competens, omnimodis et indefessis suis precibus, tum (quod summum esse duxi) intercessionibus vestris, composita et transacta sit: velle quippe et debere ipsum. 100. Ioachimicos seu ut vulgo dicunt Thaleros mihi in solutionem debiti universi restituendos, Lipsiam Viro Candidissimo celebratoque Christophoro Nitzern, praeterlapso iam Divi Michaelis festo certo transmittere, vel transmitti suo nomine curare, Quoque magis, ipsi carissima, fides haberetur, se poena Carceris Posnaniae incundi, haec rata fore, stipulata manu, cavisse. Licet vero parum ipsius et Verbis et stipulationibus, fidei habendum esse, probe norram, tum quod nescio quas excogitatas, et simultaneas compensationes, expensarum (si Dijs placet) suarum, multi, quam meo consensu vel mandato impensarum, falso variéque praetenderet, tum quod diversa et prorsus pugnantia non tam de me et alijs hic incolis, quam conterraneis suis, hinc inde futiliter garrire ausus sit: Victus tamen gravi intercedentium pro ipso, authoritate, tum maxime Iustissimo Civitatis Posnaniensis (cui haec omnia mecum transigere, transactionisque testimonium à me exhibere mediante iuramento, carcerisque obligatione dudum se obstrinxerat) Iuris Vigore, praedictum illud tempus, maturioris solutionis causa denuo

concessi. Quam vero sanctissimas, hanc Ciuitatem, Iustitiae
sedes esse, tum temporis praedicaret, Barbariemque vniuersae,
Poloniae, mihi ignotam, suo iudicio moreque consueto detestaretur
nemini non palam est. Saltem eo res deuenit, ut hic reuersurus
hospitio discesserit, nulli hactenus cuius. Cum autem interea
temporis, spacium solutionis, ipsi concessum, euanuerit, ego de
ipsius fide subdubitans, Lipsiam literas misi, pecuniam Lauter-
bachij vel transmissam vel depositam mihique restituendam
a Christophero Nitzen efflagitantes, unde epistolium Lauterbachij
sane authori suo conueniens, nugis mendacijsque refertissimum
inopinanti mihi transmissum est. Nititur in eodem exceptionib:
et excusationib: quibusdam, a se ipso excogitatis, eisque futilissimis,
Literas .n. Moratorias seu ut vulgo vocant ferreas, sibi a Sereniss:
Rege Poloniae Sigismundo piae memoriae concessas, et communicatas
praetendit, dumque earundem copiam dicto Christophero Nitz exhi-
bere conatur: Moratorias Christophori Eschpachers Ciuis Posna-
niensis refert, quasi vero alterius ille priuilegio gaudere possit.
Nec minus fatetur, se ob debitum hoc, Posnaniae incarceratum
fuisse: tanquam Inclitus Posnaniensis Senatus, contra Regiam
Maiestatem eiusdemque priuilegia et Rescripta, hoc suo carcere, deli-
querit. Quod autem inter caetera refert, ut ex ipsius literis liquet,
se coram Vniuerso Senatui cunctisque Dnis consulib: lacrimas fudisse
puerorumque instar fleuisse, decori magis quam laudi ducendum
vereor, Effoeminati .n. parumque sibi constantis hoc viri proprium est,
Ad me quod attinet, ut ipsius non magnifacio laudes, sic et vitupe-
ria ipsius paruipendo. nec mirum quin de me, cum nec suismet
ipsis parcat, sat scabiose loquatur. A laudato autem viro laudari
et a conueniente reprobari summum esse ornamenti aestimo.
Caetera ipsius epistolij tam nugis scatent, ut eadem nulla respon-
sione digna censeam. Cum itaque dictus Ioannes a Lauterbach
nec dictis nec promissis hic usque steterit, eaque quae iam denuo et

secunda vice hic coram consulib: Sena: et Sindicis transacta et 10
ab ipso efflagitata, stipulataque manu approbata sunt, flocipenderit,
Vos omnes Dnos nros Clementissimos, obtestatos Rogatosque uolo,
ut rem omnem quonam pacto ea ipsa composita sit Inclyto Sena-
tui Posnaniensi detegere dignemini, simul et, ut ad solutionem usque
debiti, Lauterbachius, suismet proprijs (tenore transactionis) impensis,
coercere frenetur, una mecum impetrare. Nec dubito, quin hae Lau-
terbachij vacillationes ac nugae, Spectatissimo, Inclyti Posnanien-
sis Senatus, conventui summopere displiciturae sint. Me quibus-
cunque officiolis meis P. V. subditum propriumque agnosco, nihilo-
minus eisdem promptum offero, P. V. Deo opt: max: incolumes
commendans Datae Brunopoli .31. Octob: Anno 1575

S. 7. P. V

deditissimus subditus

Henningus Khirhler

Spectatissimis Prudentissimisq[ue] Viris ac Dominis
Consulibus & Vniuerso inclito Senatui Bruchsuren,
si[bi] Dominis suis [C]lementissimis